52

1

DISPUTATIO POLITICA
De
FOEDERIBUS

Divinâ favente Gratiâ
&
Ampliſſimi Collegii Philoſophici
indultu,
in illuſtri ad Salam
publicè
ad diſputandum propoſita
PRÆSIDE

M. JUSTO SÖFFING/
Rudolſtad. Thuringô,
Reſpondente
M. JOHANNE THÖNNIKERO
Geringswaldâ Miſnicô.

in Auditorio Philoſophorum
ad d. Auguſti

JENÆ,
ris GEORGII SENGENWALDI.
CIƆ IƆC IL.

VENERANDIS
NOBILISSIMÆ LASANORUM FAMILIÆ
Senioribus,
V I R I S
Perreverendis, Clariſſimis, Prudentiſſimis, Eximiis, Litteratiſſimis, Spectatiſſimis,

DN GEORGIO BLUMBERGERO,
Eccleſiæ apud Schneebergenſes Archidiacono meritiſſimo,
Dn. M. DAVIDI THöNNIKERO,
Eccleſiæ, quæ Chriſto Geringswaldæ colligitur, Paſtori vigilantiſſimo,

DN. DANIELI FöRKELIO,
Prætori apud Eulenbergenſes integerrimo,
DN. VALENTINO RöBERO, civi ibidem primario,

Dominis, Promotoribus, Parenti, Cognatis, & Fautoribus ſuis perpetim obſervandis

Exercitium hocce Academicum
in gratitudinis τεκμήριον,
& ulterioris favoris ὁρμητήριον
ſacrum cupit

M. JOHANNES THÖNNIKER,
SS. Theol. Studioſus.

I. N. J.

Magnum profectò onus imperantium humeris impoſitum: benè regere populum, flagitiorum coercere licentiam, excitare virtutis ſtudia, rem denique publicam beneficijs ſibi devincire,

Conſulere Patriæ, parcere afflictis, ferâ
cæde abſtinere, tempus atq; iræ dare,
Orbi quietem, ſeculo pacem ſuo.

Quæ cum *Diocletianus* ſecum ponderaret, meritò nihil difficilius dicebat, quàm benè imperare. Et *Saturninus* prudenter illis, qui imperatoriâ eum purpurâ induebant, *neſcitis, Amici*, reſpondebat, *quid mali ſit imperare: gladii & tela noſtris cervicibus impendent: imminent undiq; haſtæ, undiq; ſpicula: ipſi cuſtodes timentur, & formidantur.* Hinc ſæpè factum legimus, quod Reſpublicæ optimè conſtitutæ perierint, & cum maximè floruerunt, in nihilum reciderint. Scilicet qui benè rem gereret, defuit, aut ſi præſtò fuit, de morborum remediis parùm ſollicitus fuit. Neceſſum igitur omninò eſt, ut imperans de remediis, ad Reipublicæ confirmationem quæ faciunt, maturè cogitet. Fortius autem cum præter fœdera nullum contrà vim externam detur remedium, amicitias & fœdera cum vicinis & potentibus contrahere, conſultum eſt. Quemadmodum enim Reipublicæ ſtatus *internè* per virtutes, juſtitiam cumprimis & clementiam, ita *externè* per fœdera conſervatur optimè. Fœdera namque arietes quaſi ſunt, quibus

pravæ actiones, callida conſilia & conatus nefarii adverſariorum evertuntur. *Via fœderum*, ſcribit *Waremundus ab Erenberg in meditam. pro fœd. l.1.num.59. ad potentiam, ad res gerendas, ad res componendas, tranſigendasq; valida, rectè inita, ſociis electis, qui animo, opibus, milite & ſcientia militari valeant, & in proximo habitent, ad bellum injuſtè illatum repellendum, vel conſilio & arte impediendum, Reipublica multum conducit.* Quæ cum ita ſint, nobiliſſimam illam *de fœderibus* doctrinam, divinâ gratiâ adjutus, breviter tractare in animum induxi. Nam res hæc omninò politicæ eſt conſiderationis, ut docet *Ariſtot.* l.IV.Polit.c.14. *Omniũ*, inquit, *Rerumpublicarũ tres ſunt partes.* Et paulò poſt: *Harum trium partium una eſt, quæ de Republ. conſultat; altera, quæ in magiſtratibus cernitur; tertia, quæ in judiciis. Princeps autem eſt ea, quæ conſultat de bello & pace & ſocietatibus & fœderibus* (diſſolutionibus) *& legibus &c.* Ita verò procedam, ut (ſicut reliqua majeſtatis jura alibi conſideravi) temperem me ab iis, quæ alterius, & afferam, quæ politicæ ſunt conſiderationis. Si quid humanitus paſſus fuero, æqvum poſtulo judicem ac monitorem. Non ille promptius me monebit errantem, quàm ego monentem ſequar.

CAPUT I.

Definitionem foederis nominalem evolvit.

§. I.

Pulcrè Epictetus, Ἀρχὴ, inquit, παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων σκέψις. Nominis igitur cura ſit nobis prima. *Etymologiam* quod concernit, *Fœdus* ab *hœdo*, qui in fœdere ſanciendo necabatur, dictum cenſet *Iſidorus* l. 10. *Etymol.* pag. 137. Alii à fœdè & crudeliter cœdenda victimâ. Scilicet fœdera jungebant olim cæsâ porcâ, *Virgil.* lib. 9. Æneid. v. 641. ejusque exitiũ illi, qui prior fœdus violaſſet, imprecabantur, his ferè verbis: *Audi Jupiter, audi Pater patrate &c. Si prior defecerit publico cõſilio, dolo malo, tu illo die, Jupiter, populum Rom. ſic ferito, ut ego hunc porcum hodiè feriam, tantoq; magis ferito, quanto magis*

potes

potes polleſque. Hoc ubi dixerat *fecialis*, porcum ſilice percuſſit. Vide *Livium* lib. I. & IX. decad. I. Cujus rei veſtigia in ipſo Codice ſacro Gen.15.v.9.10. invenimus, præcipuè Jerem.34.v.18.19. ubi fœdera ſancientes, ſi juramentum prius præſtiterant, carnem mactatorum animalium diſſecare interque ſegmenta illa tranſire ſoliti ſunt, dicentes quaſi: *ſic dimembretur, qui fidem fregerit, & juramentum transgreſſus fuerit.* Hinc *ferire fœdus.* Nonnulli à *fecialibus* hoc eſt, ſacerdotibus, per quos fiebant fœdera, derivant.

§. II. Fœdus rectius deduci putant alii *à fide*, quod Etymon cæteris præferunt *Philippus* in Malach. *Martinius in Lexic. Philol. Beſoldus in diſſ. Politico-Jurid. Waremundus ab Erenberg*, alii. Fœdus namque propter hoc initur, ut inter partes conſtet fides. Ferienda ſunt fœdera *bonâ fide*, *Seneca* l. 2. *Epiſt.* 8. ἄνευ δόλου καὶ ἀπάτης *Herotodus* lib. 1. & 8. *hiſt. ſine dolo malo*; *Livius lib* 7. *dec.* 4. Quo factum eſt, ut Romani fidem tanquam ſanctam pro numine colerent, & ſolenne fidei ſacrarium, in quo juramento confirmabant fœdera, inſtituerent. *Liv.* lib. 1. & 24. Arrigant hìc aures, qui Chriſtiani audire volunt, *Fœdifragi*, & vel ab Ethnicis fidem ſervandam eſſe diſcant. Nam

Non bove mactato cœleſtia numina gaudent,
Sed quæ præſtanda eſt, & ſine teſte, FIDES.

canit *Ovidius* Poeta Ethnicus *Epiſt.* 15.

§. III. Quantum ad *Homonymiam*, fœdus ſumitur 1. pro fœdere *divino*, quod contrahitur inter Deum & homines, quô de in ſcripturis paſſim. 2. pro *diabolico*, inter Diabolum ejusq; aſſeclas, præſtigiatores &c. de quibus prolixè agit *Wierus in tract. de præſtigiis Dæmon. & Gœdelmannus lib.* 2. de lam. cap. 2. 3. pro *Naturali* inter homines ſangvine junctos 4. pro *matrimoniali ſeu conjugali* inter conjuges. Præterea ſumitur interdum pro *qualibet voluntatis & conſilii diſpoſitione. Virgil.* lib. 1. *Georg. verſu* 60. *& lib.* 1. *Æneid.* verſu 66. Sic & *conditio* aut *promiſſum* fœderis nomine non rarò venire ſolet. Nobis h. l. fœdus eſt *pactio publica*, ut in definitione, mox dicetur.

§. IV. Tangimus & Synonymiam. Fœdus *Ebræis* dicitur בְּרִית quæ vox in verſione LXXvirali exprimitur

per vocabulum *Διαθήκη i. e. συνθήκη*, vide quæ hac de voce ex *Hieronymo* habet *Druſius cent.2.miſcell.c.*35. Germanis dicitur Bundt/Verbündnis/ Gallis, *Alliance* ab alligando.

§. V. Ne aditum nobis ad cætera præcludamus, expediendà quæſtio eſt: *An fœdera licita ſint & Reipublicæ ſalutaria?* Affirmativâ ut defendamus, ſvadet *jus divinũ, naturale & civile*, urget *neceſſitas*, requirit utilitas. *Ex jure divino* nota ſunt exempla *Jacobi* cum Socero *Labane Gen.31. v. 44. Joſuæ* cum *Gabaonitis Joſ.9.v.15. Davidis* cum *Jonathane 1. Sam.18. & cum ſenioribus Iſrael 2. Sam.5.v.3.1.Chron.11.v.3. &c.* Idem *ex jure naturali* patet. Nam uno quaſi communi fœdere conglutinati ſunt homines, dum natura quandam cognationem inter eos conſtituit, confer. *Ariſt. 8. Ethic.* optimi ſunt amici, inter quos eſt caritas arctiſſima, qualis etiam inter confœderatos eſſe debet, cum confoederatus confoederato omnia ad ſalutem credat propriam. Docet hoc *Natura*, quando nobis geminas manus, aures ſocias, oculos & pedes geminos tribuit, ut eò melius peragamus id, quod noſtri eſt officii. *In Jure Civili* quomodo fœdera ſint fundata, vide apud *JCtos*. *Quod* pangenda ſint fœdera *utilitas* ſvadet, *neceſſitas* urget. Bellum enim ubi feliciter geri debet, conſiderandum eſt, quænam copiæ jam paratæ, aut quæ paratis adjungi queant, quinam ſocii aut Amici Reipublicæ, quod monitum eſt *Ariſt.lib.1.Reth.c.*5. Ita Senatori neceſſarium eſt noſſe Rempublicam, quibus ſociis, amicis, ſtipendiariis illa utatur. Teſtantur *hiſtoriæ*, quòd nullus populus adeò fortis fuerit, ac tutus, qui non amicorum fœdere in caſu dubio fuerit uſus. Exempla benè multa collegit *Waremundus ab Erenberg*, l.1.p.138.& ſeqq. Non obſtat, quod diffidentia, ſimultates, quin & bella nonnunquam ex fœdere oriri ſoleant. Nam per abuſum non tollitur uſus. Fœdera in ſe & per ſe optimum ſunt pharmacum contra aliorum molitiones; per accidẽs ſaltim & ex hominum malitia aliquid veneni interdum attrahunt. Nec obſtat 2. quod Natura adeò fuerit provida, ut naturale inter homines fœdus inſtituerit, & propter hoc conventiones alias noluerit. Nam juramento cõfirmari debet fœderis actus, quia nudus conſenſus non conſtituit

tuit

tuit fœdus, cùm plus fidei habeatur juranti, quàm ſimpliciter affirmanti.

CAPUT II.

Definitionem foederis realem proponit.

§. I.

DEfinitionem *nominalem* & quæſtionem *An ſit* jure ſuo excipit *realis*, & quæſtio *quid ſit*. Sicut autem definitionem *Bodini lib.* 5. c. 6. utpote definitô anguſtiorem & temporanea fœdera excludentem, rejicimus, ita *Livii* atque *Grotii* lib. 2. cap. 15. genere deſtitutam ſuo loco relinquimus, illam unicè nunc examinantes: *Fœdus eſt pactum publicum diverſarum Rerumpublicarum, ſolenniter factum de auxiliis & quibusdam aliis ſibi mutuò præſtandis.* Quam *Keckerm.* lib. 1. *Syſtem Polit.* cap. 24. prolixius adducit ita: *Fœdus eſt pactum, quo diverſi principes ſalvo utrinque majeſtatis jure ſe mutuò ſolenniter obligant ad amicitiam colendam, fidem præſtandam, auxilia mutua mittenda, hoſtes communes habendos.* Per *pactum publicum*, quod generis loco ponimus, notatur, quod fœdera conventionibus publicis (*Ariſtot. l. 6. Rhetor.* ad Alex. c. 3.) ſummæque poteſtatis juſſu (*Liv. lib. 9.*) fiant neceſſe ſit.

§. II. Ut fœdera magis eſſent ſplendida ac firma, inſuper variis utebantur olim ceremoniis. De victimis & ritibus quibusdam egimus ſuprà; alios plures enumerat *Camerarius cent. 2 medit. hiſt.* c. 78. & *Excellentiſſimus Dn. Sagittarius in diſſ. de Fœderibus cap.* 3.

§. III. De juramento, quod in fœderis percuſſione præſtabatur, paucula adjicere placet. Fundatur illud in ſacris *Gen. 14. v. 22. c. 22. v* 16. *c. 31 v. 44. Exodi. 6. 8. Deut. 6. 10. &c.* ubi notant Autores, manum levare idem denotare ac jurare, indeq; eſſe, quod hodiè erectis dextræ digitis juramentum fieri ſoleat. Cum fœdus inter *Romanos & Carthaginenſes* eſſet contractum, confirmabant juramento, quod etiamnũ hodiè in templo Capitolini Jovis ab *ædilibus* aſſervatur, hoc ferè modo conceptum: *Si rectè ac ſine dolo malo hoc fœdus atq; jusjurandum facio, Dii mihi cuncta felicia præſtent: ſin aliter aut ago aut cogito, ce-*

eo, cæteris omnibus ſalvis in propriis laribus, in propriis templis, in propriis ſepulchris ſolus ego peream, ut hic lapis ex manibus meis decidit, nec plura locutus, manu lapidem dejecit.

§. IV. Ex hactenus dictis facilè eſt colligere, quod *fœdus* propriè dictum non ſit 1. *ſponſio*. quippe quæ tunc etiam fit, quando hi, qui à poteſtate ſumma ejus rei mandatum non habent, aliquid promittunt, quod illam propriè non tangit. Confer *Livium* loc. cit. Nec 2. *Conſpiratio*. Nam fœdus principis conſenſu fieri debet, ubi & honeſtatis ratio eſt habenda, & reipublicæ ſalus reſpicienda. In conſpiratione verò tantum abeſt, ut honeſtatis ratio habeatur, ut contra omnis ibi honeſtas ac juramentum violetur. Inter cives enim & privatos plerumque clam fieri ſolet conſpiratio in magiſtratus præjudicium. Nec 3. *quilibet contractus*, qui privato fit fine atq; commodô Nec 4. *deditio*, ſive ſit *pactitia*, quando cõventiones violare nefas eſt, ſive fiat *ſine conditione*, quando hoſtium arbitrio omnia committuntur. Utraque enim deditio ut ſalvo majeſtatis jure, quod ad fœdus requiritur, fiat difficile eſt.

§. V. Reſpublica, cujus in definitione mentio fit, intelligitur talis, quæ majeſtate pollet. Eſt etenim fœderis pangendi poteſtas non penes privatos, ſed eos, qui ſummam habent poteſtatem. Scilicet in regno eſt penes Regem, in Ariſtocratia penes optimates, in politia penes populum. In imperio Romano-Germanico poteſtatem hanc eſſe penes Imperatorem & Electores, colligunt nonnulli ex capitulatione *Caroli V. & Ferdinandi* III. Imperatoris hodierni artic. VII. ubi inter alia hæc habentur: Wir ſollen und wollen für uns ſelbſt / als erwehlter Römiſcher König in des Reichs Händeln/auch keine Bündnis oder Einigung mit frembden Nationen/noch ſonſt in Reich machen / wir haben denn zuvor die Sechs Churfürſten deshalben an gelegene Mahlſtatt zu ziemlicher Zeit erfordert/und ihren Willen ſämptlich oder mehrentheils aus ihnen / und zwar auff einer Collegial Zuſammenkunfft und nicht durch abſonderliche Erklärung (Es were denn das publica ſalus und utilitas eine mehrere Schleinigung erforderte) in ſolchen erlanget.

§.VI.

§. VI. An autem Imperii Romani ſtatus, Imperatore non conſentiente, vel etiam contra Imperatorem in cauſa religionis, item an omnes Duces, Marchiones, Comites, & civitates vel inter ſe, vel cum exteris etiã nationibus, fœdus inire poſſint, noſtrum non eſt definire quicquam. Ignorantiam ſuam hic ultrò profiteri Politici aliàs celeberrimi non verentur.

§. VII. Contrahi ſolet fœdus varias ob cauſas, modò ad auxilium ferendum, modò ad officia præſtanda, de religione, de tuendis finibus, aliisque, quæ ab utraque contrahentium parte exprimi debent. Ideò enim *ſolenniter* fieri fœdera in definitione monuimus, ut modus & ritus in fœderum percuſſione uſitati ſignificentur. Modus jungendi fœdera debet eſſe apertus ac perſpicuus, ut conditiones à contrahentibus rectè percipiantur. Ut conſcientiæ conſulatur, omnis verborum ambiguitas abſit. Ubi enim verba ſunt ambigua & inſtar oraculi Delphici in utramque partem flexibilia, ſæpè contra conſcientiam malè juratur. Ne fraudes & inſidiæ nobis fiant, fœderum formulæ cautè ſunt conſcribendæ. Quicquid eſt in fœdere, debet eſſe in formula. Quod ubi non obſervatur, pacti fides ſæpè violatur. Exempla multa refert *Bodinus* lib. 5. c. 6.

§. IIX. Non reprehendendus etiam videtur modus ille, quando fœdera in ſenatu vel curiâ majore, aut in comitiis promulgantur, ut etiam ſubditis de fœdere ejusque conditionibus conſtet. *Subditorum conſilium*, inquit *Waremundus* lib. 1. num 223. pag. 274. *in fœderibus contrahendis admittendum eſt, cum nullum firmius ſit præſidium principibus ſubditorum benevolentiâ*. Laudamus proinde *Romanos*, qui leges & fœdera, in æs incidere ſolebant. Quas tabulas, ut nemo fœdus ignoraret, publicè affigebant, & ut formulæ exemplum ſemper haberent, in templo Capitol. Jovis aſſervabant. Vide *Polybium l. 3. de fœd. Rom.*

CAPUT III.

Fœderis diviſiones conſiderat.

§. I. A Definitione reali bono ordine progredimur ad Diviſio-

viſionem. Tria fœdũm genera *Menippus* apud *Livium lib.* 34. ſtatuit: *unum*, cùm bello victis dicerentur leges. *Alterum*, cùm pares bello æquo fœdere in pacem atque amicitiam venirent. *Tertium*, cùm qui hoſtes nunquam fuerint, ad Amicitiam ſociali fœdere jungendam inter ſe coirent. Ita *Menippus Antiochi* Legatus, non tam ex artis præſcripto, quàm uſu ſuo.

§. II, Nos fœdus primò dividimus in *æquale & inæquale*, quam diviſionem præeunte Reinkingk & Hug. Grotio ſic explicamus: Fœdus æquale eſt, quod æquis conſtituitur conditionibus, vel ubi conditiones utrinque eodem modo ſe habent. Fœdus hoc eſt vel in eadem re, vel in ſimili. In eadem re eſt, quando defenſio inſtituitur, aut cùm pares bello de captivis reddendis, urbibus tradendis, æquis tranſigunt conditionibus. Quod fœderis genus cùm omninò æquale ſit, vocatur *fœdus æquum*. Fœdus autem in re ſimili eſt, cùm una Respublica defenſionem ac periculum, altera pecuniam & commeatuum ſubminiſtrationem æquivalentem promittit. Quod fœdus non omninò eſt æquale, non tamen multum eſt inæquale.

§. III. Fiunt autem ejusmodi fœdera 1. *pacis causâ*, quando de reſtituendis captivis rebusque captis aliis fœdus pangitur. Quo referri ſolet fœdus Abimelechi cum Abrahamo ictum Gen. 21. v. 23. 2. *Societatis causâ*, quæ fœdera ſunt vel *defenſionis* quando ob auxilia mutuò præſtanda feriuntur, quale fuit illud, cujꝰ mentio fit 1. Macc. 8. vel *commerciorũ*, quæ propter commercia & utilitatem mutuam panguntur. Tale erat fœdus Polonorum & Tartarorum; *vel defenſionis & commerciorum ſimul*, cujusmodi fœdera fuerunt inter Thuſcos & Carthaginenſes, & inter alios plures, circa res importandas & pacta, ne injuriâ afficerentur, & ſcripturæ circa mutuam bellorum ſocietatem, Ariſt. l. 3. Polit. c. 9. Talé etiam foedus eſt civitatum Anſeaticarum, quod improbandum minimè eſt. Nam 1. Imperatoris nititur autoritate. Hinc Imperator Rudolphus maxima cum cura & diligentia illud protegebat, Anglosque, qui illud tollere conabantur, imperio ejiciebat. 2. Boni publici causâ contrahitur, ſc. propter neceſſariam defenſi-

ſenſionem, itemque propter neceſſarium commerciorum uſum, cum mercaturæ exercendæ valde proſit.

§. IV. Sicut autem *fœdus æquale* æquis, ita *inæquale* inæqualib9 conſtituitur conditionibus & promiſſionibus, quando una pars plus quàm altera præſtat, vid. *Hug Grotium* lib. 2. c. 15 p. 237. & Cl. *Dn. Sagittar. diſp. cit.* §. 24. & ſeqq. Dicitur *Clientelare* fœdus, quando contrahitur inter Patronos & Clientes.

§. V. Fœdus præterea aliud eſſe *temporaneum*, quod ad certum duntaxat tempus viget; aliud *perpetuum*, quod durat quam diu nomen gentis & Reipublicæ durat, notius eſt, quàm ut pluribus hic explicetur. Illud verò prætereundum non eſt, quod fœdus perpetuum ab Ebræis *ſalis fœdus* ein Saltz Bund appellari ſoleat 2. Par. 13. v. 5. Nempe ideò ſic dicitur perpetuum fœdus, quod ſale quaſi conditum ſit, atque propterea gratum & carum partibus fœderatis, interq; eas ſtabile futurum. Nam ſal & ſapidos facit cibos, & ab eisdem putredinem prohibet, ut vigorem ſuum nativum retineant, nec facilè infatuentur. Benè igitur *Lutherus* vertit *ſalis fœdus*, ein unverweſentlich Bund *Num.* 18. v. 19. Eodem ferè modo *Bodinus* lib. V. de *Republ. Cap.* VI. hac de re diſſerit, quando fœdera perpetua *ſalis fœdera* ideò vocari ſcribit: *quod nihil eorum, quæ ex Elementis ſunt concreta, ſale ſit incorruptius: Ut eodem ſenſu ſacræ literæ ſtatuam ſalis appellant, non quæ ex ſale concreverit, ut quidam valdè inſulſi putant, ſed quæ ſempiterna ſit futura.*

CAPUT IV.

Circumſtantias in fœderis percuſſione obſervandas ſubjicit.

§. I.

VEnimus ad reliquas quæ in fœderum percuſſione obſervari ſolent, circumſtantias, cum quibus, & quando fœdera ſint pangenda. De perſonis, monet *Philoſophus l. Rhet. ad Alex. c. ult*: Quod fœdera ſint ineunda 1. *cum juſtiſſimis*. 2. *cum potentibus*. 3. cum *vicinis*. Pangenda verò non ſunt fœdera 1. cũ

illis qui ſuſpectæ ſunt fidei. Modus enim, de quo ſuprà §. 8. eſt obſervandus; inſidiæ, quas illi ſtruunt, vitandæ ſunt.

§ II. Nec 2. cum iis, qui aut nullis aut exiguis inſtructi ſunt viribus. Etenim ubi inter imbelles fœdus initur, utraque pars facile perit, cum viribus deficientibus neutra alteri in ſubſidium venire poſſit. Exemplo *Sidicinorum* & *Campanorum* res eſt clara. Cavendum interim eſt 1. ne infirmos & periclitantes ſemper excludamus. Honeſtum enim eſt Reipublicæ, quàm maximè egentibus auxilium præſtare. Quid? quod infirmi dotibus animi v. g. fide, fortitudine, prudentiâ, magnanimitate &c. ſæpè excellant, adeoque opibus & potentiâ quod non poſſunt, virtute præſtant. Cavendum 2. eſt, ne cum potentioribus ſine diſcrimine fœdus, cumprimis quod *clientelare* vocant, contrahatur. Factum enim ſæpè eſt, ut â potentioribus illis minores ſeu Clientes ſub ſpecie amiciſſimæ protectionis ſint oppreſſi, inquè ſervitutem redacti. Exemplo nobis eſt *Johannes Pannoniæ* Rex, qui Auſtriacorum inſidias metuens Turcarum ſubiit clientelam, â quibus poſtea ſervilem in modum ſuppreſſus eſt. Plura refert exempla *Bodinus* l. 5. 1. c. 6. Ubi & cautelas aliquot hac in re obſervandas proponit: 1. Ut patrocinia breviori temporum intervallo circumſcribantur ac terminentur. Sic enim quæ graviora Clientibus videntur, mutari; quæ honeſta, continuari poſſunt. 2. Ut patrocinii tabulæ fiant, quas literas protectionis Schutz oder Schirmbrieffe appellant. 3. Patrocinia ſint gratuita, cum officio merces non debeatur. 4. Cautio omnium optima eſt, ne Patroni Clientum arces & oppida præſidio teneant militari, ut potentes ſi nocere velint, non poſſint. Hæc ſunt obſervanda, ne Patroni potentiores in dominos & Tyrannos; Clientes verò minus potentes in ſubditos ac ſervos evadant.

§. III. Nec fœdera pangenda facile ſunt (3.) cum iis, qui procul â nobis ſunt remoti. Quamvis amicitiam haut dirimat ſejunctio locorum, tamen officia interrumpit, juxta Ariſtot. l. 8. Ethic. Remoti tempeſtate obortâ ita citò ſe nobis conjungere non poſſunt, ſi vel maximè velint. Vicini autem auxiliô præſtò eſſe & poſſunt & volunt, cum eorum animi qua-

ſi

ſi naturæ vinculo arctius copulati videantur ad mutuum auxilium & defenſionem.

§. IV. *Utrum Magiſtratus Chriſtianus cum Imperatore Turcico, aut alio infideli fœdus contrahere poſſit*, diſputatur hodiè & operosè diſceptatum fuit olim, cum Gallorum Rex *Franciſcus* fœdus iniret cum Turcis eorumq; auxiliis contra *Carolum* V. uteretur. Diſtinguunt Autores 1. Inter fœdera, quæ non offendendi ſed defendendi causâ fiunt, & quæ in oppugnando aliquo tertiô mutuas operas exigunt. Illa cum infidelibus etiam pacta dicunt licita, hæc non item. 2. diſt. inter fœdera, quæ conditiones adjunctas habent politicas, & quæ in fraudem religionis panguntur. Priora, non poſteriora, ſunt licita. Plura hac de quæſtione vide apud *B. Gerh. Tom. 6. de Magiſtr. Polit.* §. 154. ſeqq. & apud *Beſoldum in diſſert. de fœd. jure c. 4.*

§. V. Quæſtionem, *Utrum Chriſtiani commune quoddam fœdus contra Turcas pangere poſſint*, affirmant plerique, moti rationibus 1. *quia juſtum eſt.* Nam Turca infenſiſſimus Chriſtiani nominis hoſtis ſemper Chriſtianorum ſitit ſanguinem. Qui igitur non defendit nec obſiſtit injuriæ, tàm eſt in vitio, quàm ſi parentes aut patriam aut ſocios deſerat, Cic. lib. 1. offic. Itaque Chriſtiani cauſam contra Turcas fœdus contrahendi habent legitimam & juſtiſſimam. 2. *Quia honeſtum eſt.* Magiſtratui, cui populi cura eſt commiſſa, incumbit impendentibus malis obviam ire, nec expectare aut cunctari, ut accepta injuria cum periculo vindicetur. Honeſtum eſt bellum, contra Turcam quod movet is, qui, ne ipſe bello petatur, timet. 3. *quia utile eſt*, Quantum inde commodum Chriſtianis accederet, ſi Turcarum vires frangerentur, eorumque potentia coerceretur, optimè norunt illi, qui dies noctesque â Turcis affliguntur.

§. VI. *An orthodoxus cum hæreticis urgente neceſſitate, fœdus inire poſſit?* Diſting. inter fœdus *Eccleſiaſticum*, & *merè Politicum*. *Illud* Eccleſiæ & religionis purioris defenſionem ac propagationē concernit, & cū hæreticis licitū non eſt. *Hoc*, quia publicâ tantùm & communem reſpicit pacem, conceſſum eſt.

De *fœdere mixto*, quod partim Religionis, partim pacis publicæ aſſertionem concernit, quid ſentiendum ſit, docetur alibi.

§. VII. Temporis circumſtantia licet ob varietatem adeò accuratè annotari hîc non poſſit certum tamen eſt, quod illô potiſſimum tempore fœdera ineunda ſint, quando cives minus potentes ſunt, belliq; eum potentioribus imminet periculum, ut docet Ariſt. l. Rhet. ad Alex. c. ult.

§. VIII. Circumſtantiis annectimus quæſtionem, *An etiam fœdera contracta licitè diſſolvi poſſint?* Niſi pars una fidem fregerit, vel tempus, quod erat præfixum, elapſum ſit, aut circumſtantiæ ceſſent, diſſolutionem fœderis licitè fieri poſſe negamus. Nam 1. *Fœdus qui frangit, perjurium committit.* 2. *Fœdifragium incommoda ſecum trahit maxima.* Etenim nulla fœdifrago fides poſtmodum habetur. Qui ſemel malus, ſemper præſumitur malus. In uno qui perjurus, in omnibus perjurus creditur. Hinc Asdrubali fœdifrago, cum pacem peteret, â Senatu reſponſum eſt, neſcire ſe, per quos Deos ipſe jam fœdus juramento ſancire velit, cum prius illos fefelliſſet. 3. *Fœdifragus turbat fidem*, quæ maximum eſt ſocietatis vinculum, quâ ſublatâ interiret omnis commerciorum uſus inter homines & omnis conſociatio. Itaque æternâ memoriâ digna vox erat Imperatoris *Caroli V.* qvum *Eccio* & aliis, qui ad violandam fidem *Luthero* datam eum inſtigabant, reſponderet: *Etiamſi fides toto terrarum orbe exularet, tamen apud Imperatorem immaculata manebit. Bodin.* l. 5. c. 6. 4. *Fœdifragium Deo maximè eſt deteſtabile*; quò fit, ut fœdifragos nunquam dimittat impunitos. Cum fœdus, quod *Joſua* cum *Gabaonitis* inierat, *Saul* ejusque poſteri rupiſſent, graviſſimas dedere pœnas, *Joſ.* 9. 19. 2. *Sam.* 21. v. 1. *Uladislaus Hungariæ* Rex, infelici ſuaſore Juliano, fœderis leges cum Turca initas violabat, & primô quidem conflictu, qvum ruptis fidei vinculis ad *Bulgariæ* oppidum cum *Amurathe* confligeret, hoſtem ſummas ad anguſtias redigebat. *Amurathes* autem contracti fœderis memor ad cœlum exclamabat: *Chriſte, en hæc ſunt fœdera, quæ per tuum nomen Chriſtiani jurantes mecum contraxere, & perjurio te Deum ſuum abnegarunt; Si Deus es, hanc mihi & tuo ſancto nomini injuriam illatam*

tam

tum ulciſcere. Accidebat deinceps, ut Hungariæ Rex, iteratô conflictu, non tantum ipſe cum proceribus, ſed & *Julianus* ſvaſor cum toto ferè exercitu miſerè interiret. Tantum.

Corollaria.

An Magiſtratus, qui leges fundamentales, in quas juravit, violâſſe putatur, jure poſſit à ſubditis occidi?

An Magiſtratus ejusmodi, qui mortem prius ſubit, quàm rationem poſtulantibus reddat, excuſari poſſit?

DUM de fœderibus magnatum diſſeris aptè,
Jena tibi confert jura Magiſterii.
Gratulor: ut ſtabili ſe fœdere jungere pergant
Artis honos, pietas, & decus omne, precor.
Fœdera tanta probat Deus: exhilarare parentem
Hæc poterunt, matri ſunt quoque grata tuæ.
His de fœderibus, mi Thönniccere, *labora;*
In Domino labor hic ſic benedictus erit.

αὐτοσχεδίως f. Jenæ

GOTHOFREDUS CUNDISIUS
SS. Theol. D. & P. P. Academiæ Rector deſignatus.

Phœbo

PHœbo quid melius? rutilis quid gratius aſtris?
Stelliferique poli claro quid pulchrius axe?
Quid mage delectat, nitidi quàm lumen Olympi
excipere, atque auræ gelidis afflatibus uti?
Abſtruſo contrà quidnam deformius antro?
Quid poterit nigricante ſpecu vel triſtius eſſe,
Quis non terrificas fugiat ſtygiasque tenebras?
Hoc agitas tecum, THÖNNKERE, animoq; volutas,
Quare non latebras quæris, vaſtosque receſſus,
flammicomam ſed amas lucem, radiosq; micantes,
Quod ſatis oſtendis, nuper tentamen inire
non veritus, patiens duplicemq; examinis æſtum.
Nunc iterum prodire cupis, defendere tentans
tmemata, queîs doctè, bona quæ ſint fœdera, tradis.
Perge; Magiſterij modò quos es adeptus honores,
Te magis in lucem ducant, lausq; ampla ſequatur.

Ita vovebat

M. OTTO Hanffmann/
Oldenburgenſis.

I*Nclyta* Jena *ſuum videt impalleſcere Chartis*
Thönnkerum, *& ſacris invigilare libris:*
Inclyta Jena *ſuum celsò de ponte cathedra*
Audit dicentem, fœdera *quæ licita:*
Hinc ait: eſt meritò noſter mactandus honore.
Lætentur Muſæ, patria cara, parens.

Honoris ergò deproperabat
M. Johann-Chriſtian-Polentius
SS. Theol. Stud.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F i n i s.